

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



M

I. N. J. A.

INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,

DISPUTATIO X.

Ex quâ,
DE

TERMINIS, PHRASIBUS,

Ac SIMILIBUS, AD DOCTRINAM

DE UNIONE PERSONALI

PERTINENTIBUS,

Præside

JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.

Licentiato, Profefs, Publico, & ad D. Thomæ

Ecclesiasse;

Respondente

SIMONE Wetß / Thorunensi.

Die 6. Julii Anni 1648.

disputabitur.

LIPSIÆ,

Typis HENNINGI CÖLERI.



INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. & Chemicis

DISPUTATIO

Ex qua

TERMINIS PHRASEIBUS

AC SIMILIBUS AD DOCTRINAM

DE UNIONE PERSONALI

PER TIENTIBUS

JOHAN-BENEDICTO CARPZOV SS. Theol.

Licentiate, Profesa, Publico, & ad D. Theol.

Reclatante

SIMONE SEIFFEL Thurnen

Die 6 Junii 1748

Alphabetum

ALTSLE

Typis Henningsi Coepta



Præstantissimo Domino Respondenti

Per scientiæ recessus, multa per divortia,
Sæpius rerum per umbras, cassaq; oblectamina
Orbis hic ætatis, atq; vita nostra volvitur,
Attamen tu rectiorem, Docte VVEISSI, tramitem
Eligis, CHRISTUMq; discis, nempe in hoc scientiarum
Omnium thesaurus amplius sat Tibi repõstus est.
Secularem literaturam jubes ut serviat
Tota sacræ, tot laborum CHRISTUS unus est scopus.
Sic & hinc dum præsidente differis CARPZOVIO,
Quid sit illud, quod vel ipsi vix sciunt sat angeli,
Quodq; per videre gaudent, maximum mysterium
Unionis nempe personalis, haud abis scopo.
Euge perge, perge NOSTER! Uniatur Spiritu
Ille tecum, copulavit qui sibi servum DEUS!

Ita vovet

M. Christian - Friedericus Franckenstein/

Facult. Phil. Assess.

Unire cœlis, entheatâ Numini
Unite mente; Candidâ fide Tuam,
Dum promis in Mysteriis sacris fidem
Et Unionem, quâ coæva seculis
Natura gaudet terreo velamine;
Ac pertinacis Eutychi delirium
Et publicata Nestori Phantasmata,
Schvvenckfeldiano conjugata Dogmati,
A puriore separas Sententiâ;

Vel

Vel candicantes omnium suffragio
Intaminati Dogmatis meres notas,
Jam cerno, quod Tuis favente Partibus
Quem sacra Divinum stupent mysteria
Hostesque sacri fulminantem Spiritu
Ignem ferente pertiment, CARPZOVIO
Tibi porrigantur jure Niceteria.

Que Gratulatur Amico è paucis

M. Petrus Muccius, Collegii
Principum Collegiatus.

Q Uem nuper SOPHIES mansurâ laude cathedræ
Inter Lipsiacos obstupuere Sophos:
Nunc videt EUSEBIES sua scandere pulpita, JESU
Auspiciis, JESUM sumere materiem,
JESUM nomen * habet, JESUM que professio, JESUM
Quid, Dilecte, vetat sumere materiem?
Gratulor: & Patriæ gratantur Tempa Scholæ que,
Mox que piis studiis digna brabéa dabunt.

* *Veiss*
Anagr.
JESUS.

Ita verè- Suo appl.

Godofredus Hahn/ Silesius.

F I N I S.



CAPUT IV.

De duarum Naturarum Unionem & inde resul-
tante Idiomaticum Communicatione.

Disput. X.
Respond.
Simone
Weiß/
Thoru-
nensi Bo-
ruffo.

Tribus membris includi possunt illa omnia, quæ circa hoc Do-
ctrinæ Caput Chemnitius aliquot Capitibus tradit. 1. est de
Terminis, Phrasibus ac Similibus, quorum usus est in hoc doctrinæ
genere. 2. de ipsâ Unionis Personalis Naturâ & Essentiâ. 3. de
Uno Consequente Unionis Personalis, scilicet & Natura-
rum Communionem. 4. de Altero ejus Consequente, Communicatione
Idiomaticum.

MEMBRUM I.

De

*Terminis, Phrasibus ac Similibus ad doctrinam
de Unionem Personalem pertinentibus.*

I. *Termini & Phrases, quibus hoc mysteri-
um in Ecclesia exponitur, diligenti studio colligi
& attendi debent.*

§. Sæpissimè commendat Chemnitius diligentiam piè
eruditis ac studium in eo collocandum, ut propter concordiam
cum Ecclesia loquantur, in l. de duab. nat. c. I. p. 1. c. IX. p. 51. b. c. XII.
p. 74. b. Conferantur quæ prolixè in Diss. II. præm. c. III. Theor. IV.
de hoc dicta fuerunt.

II. *Termini ac Phrases s. modi loquendi in hu-
jus mysterii explicatione, sunt vel Biblici vel Ec-
clesiastici. Chemn. c. IX. de duab. nat. & in Locis p. 184.*

III. *Biblici sunt illi, quos ipsa Scriptura in de-
scriptione*

A

Scriptio Unionis duarum naturarum usurpat.
Chemn. p. 51. b.

§. 1. Optimè hi colligi possunt ex illis *textibus*, in quibus hoc mysterium tanquam in sede suâ fundamentali explicatur.

§. 2. Est autem maximè illustris illa phrasis, quâ Johannes utitur c. I. Evangelii v. 14. ὁ λόγος σαρκὶ ἐγένετο: ubi τὸ fieri vel factus esse, per quod explicatur Unio Personalis, non significat commixtionem & mutationem aut conversionem λόγος in carnem, uti Exod IV. 3. 4. ὁ παῖς βδός ἐγένετο ὄφις: sed pro rei substratæ Conditione, Assumptionem carnis. Uti hōc Verbō voluit Johannes, ut significaret, verba sunt Chemnitii in Harm. Evang. c. I. pag. 76. *Arctissimam & Indissolubilem Unionem λόγος cum Carne, quæ hypostatica appellatur, ut non alia scilicet sed Una & eadem, jam sit persona λόγος & Carnis assumptæ, quam semel assumptam in æternum non deponit. Non enim sicut antea visibiliter quasdam species ad tempus, quibus præsentiam suam alicubi manifestaret, assumerat, & easdem postea rursus deposuerat: Sed indissolubili fœdere hanc naturam sibi sociatam habet.*

§. 3. Chemnitius p. 82. b. τὸ ἐγένετο ex I. Cor. XV. 45. illustrat, ubi de secundo Adamo (ita appellatur Christus, non quoad numerum, sed quoad ordinem effectuum, ut radix ac principium est hominum aliorum quoad statum vitæ) prædicatur, quod sit factus in Spiritum vivificantem. Hanc propositionem Chemnitius pro personali habet, & Spiritum vivificantem exponit de divina naturæ Concreto, ut sensus sit: *Secundus homo factus est DEUS vivificans.* Sunt tamen alii, qui pro Idiomatica, communicationem majestatis Christo secundum carnem personaliter competentis enunciantes, habent, & Spiritum vivificantem exponunt per humanæ naturæ Concretum, hōc sensu: *Christus factus est Spiritus vivificans, i. e. homo qui habet potentiam vivificandi.* Inter alia hos movet Scripturæ S. indoles, quâ in prædicationibus Incarnationem vel Unionem duarum naturarum enunciatis, loco *subiecti* nunquam *hominem*, & loco *predicati* nunquam *DEUM* ponere

ponere soleat, propterea quod non possit dici: *Homo assumpsit DEUM.* Etsi enim in prædicationibus ipsum statum sc. unionem exponentibus, dicere queam, *Homo est DEUS, & DEUS est Homo:* tamen in propositionibus ipsum actum enunciatis non procedit reciprocatio ista, & tantum vera est ista, *Deus factus est homo, non vice versa: Homo factus est Deus.* Et ita per propositionem Idiomatice etiam explicat hæc verba *Oecumenius à Chemnitio c. XXIII. p. 155. b. & c. XXV. p. 196. b.* allegatus.

§. 4. Omnium clarissime *Johanneum verbum* *ἑνεσθαι* explicatur *Ebr. II. 14. & 16.* per tria significantissima vocabula. (1.) *κοινωνεῖν σαρκὸς καὶ αἵματος.* Quod vel *transitive* rem aliquam, alteri vel aliis communem facere, significat; vel *intransitive* aut *correlative*, in consortium recipere & consortium aut communionem cum aliquo habere, sicut *Græci Interpretes, Ebr. כּוּנַן* ita reddiderunt, 2. *Par. XX. 36. Job. XXXIV. 8. Esa. XLIV. 11.* Hoc in loco posterior significatus obtinet & de pueris enunciatur, quod *κοινωνήκε*, h. e. communicent seu communionem habeant cum Carne & Sanguine, atque explicatur, *qualis facta sit in Incarnatione Filii DEI κοινωνία Carnis & Sanguinis, nempe qualis puerorum sit communicantium cum Carne & Sanguine.* (2.) Alterum Verbum est *μετέχειν*, quod significat, *participem alicujus fieri*, sicut pueri participes sunt lactis, *Ebr. V. 13. Credentes Christi, Ebr. III. 14.* Hoc in loco peculiaris hujus phraseos applicatio est, & notanter significatur *Unio Personalis duarum naturarum in Christo.* Ut enim indicaret Apostolus Filium DEI non modò communem habere naturam cum pueris, sed etiam quasi ejus partem accepisse, hoc verbò uti maluit, quàm *κοινωνεῖν* repetere. (3.) Tertium Verbù est *ἁπλῶς ἀνεσθαι*, v. 16. quod in N. T. significat in genere *apprehendere, firmiter retinere, non dimittere, Matth. XIV. 31. Marc. IX. 23. Luc. IX. 47. Act. IX. 27. XVI. 19. XXI. 30. 33.* Sicut etiam *Græci Interpretes, Ebr. וּכְנַס* per *ἁπλῶς ἀνεσθαι* reddiderunt. Ut igitur Spiritus S. qualis *κοινωνία & μετοχή* Carnis & Sanguinis sit, significaret, addere hoc verbum & ostendere voluit, ejusmodi conjunctionem illam esse, quæ respondeat *firmæ apprehensioni ac retentioni*, quando aliquid apprehenditur, ut

firmiter teneatur. Chrysostomus in h.l. Orat. V. f. 1788. piè medietatus est & consignificatum quendam pulchrè attendit. Cur non dixit ἀνέλαβεν suscepit, sed usus est hâc dictione ἤπιλαυβάμετα apprehendit? quærit ac respondet: ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν διωκόντων τῶς ἀπασρεφομένους αὐτῶς καὶ πάντα ποιδόντων, ὡστε καταλαβεῖν φεύγοντας, καὶ ἤπιλαβεῖν ἀποπηδόντων. Φεύγουσιν γὰρ ἀπὸ αὐτῶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, καὶ πύρρῳ φεύγουσιν, ἡμεν γὰρ μακρὰν, καταδίωξας κατέλαβεν. Ἐδείξεν ὅτι φιλανθρωπία μόνη, καὶ ἀγάπη, καὶ κηδεμονία τὸ το πεποίηκεν; id est: A Metaphora eorum, qui persequuntur aversos, & omnia faciunt ut fugientes comprehendant, & resiliences apprehendant. Ab ipso enim fugientem humanam naturam & procul fugientem, longè enim eramus, persecutus comprehendit. Ostendit enim id fecisse solâ motum benignitate, charitate, & quam nostri gerit, curâ.

§. 5. Aliis etiam phrasibus utitur Scriptura, quando Unionem Personalem designat. Per mittere in similitudine carnis, Rom. IX. 4. de qua phrasi notatum est suprâ, c. II. membr. 2. Theor. III. §. 4. Manifestatum esse in carne, 1. Tim. III. 16. Deus enim cum Christo, Act. X. 38. quâ phrasi nomen Emmanuel, Esa. VII. 14. Matt. I. 23. exponitur. Venire in carne, 1. Job. IV. 2. 3. Et de hoc posteriori loco non sine causa ambigunt alii, (non prius id à Socino in Epist. Johannis moniti,) an ipsam Incarnationem exprimat formaliter, an non potius personæ, quæ jam incarnata est & assumpsit carnem, Conceptionem & Nativitatem, item adventum ad officium, quod in carne assumpta peregit & adhuc peragit, exponat? Nimirum existimant illi ipsam Incarnationem, ut sit, s. Unionem, de Christo enunciari non posse, sed de λόγῳ ἀσάρκῳ tantum dici; cum aliâs sequeretur Christum, i. e. personam constantem ex Deitate & carne fieri carnem. Totam autem personam compositam, & ita post Incarnationem dici conceptam, natam, ad officium venisse, uti 1. Tim. I. 15. τὸ venire etiam accipiatur. Vid. D. Luther. in c. XVI. Job. f. 224. T. VII. Jen. D. Gerhard. in Exeg. Loc. de Christo p. 1266. in T. II. Dissp. prior. disput. super 1. Job. V. 1b. 33. pag. 1309. Dn. D. Glass. l. III. Philol. sacr. p. 496.

§. 6. Valdè illustris phrasis & descriptio Unionis Personalis

lis

tis habetur *Coloss. II. 9.* ubi *Subiecti* loco nominatur ipsa Θεότης
 imò πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος, i. e. ipsa perfectissima divina
 natura Filii DEI, & quicquid in ea est vel ad eam pertinet. De
 hac Deitatis plenitudine enunciat, quòd inhabitet in Christo sc.
 secundum humanam naturam. Distinctè autem & *Inhabitan-*
tem, & Habitaculum, & Modum etiam s. differentiam *Inhabitatio-*
nis, indicat ibi Apostolus. Dicit enim, in Christo secundum hu-
 manam naturam s. in assumpta natura, ut *Athanasius* explicat, ha-
 bitare omnem plenitudinem, κατ'ὅσον non παροικεῖν, inseparabi-
 liter & invariabiliter sc. ita ut neutra sit extra sed intra, & mutu-
 am ὁμοχώρησιν personalem ambæ habeant; & quidem σωματι-
 κῶς. Hoc quidam vertunt: *personaliter*: alii: *non umbraticè* sed
verè, ut *Augustinus*: alii *aliter*. Pleriq; ad *subiectum* inhabitatio-
 nis referunt & exponunt de tota substantia humana per *Synech-*
dochen nomine corporis notari solita, ac si dicere vellet Apосто-
 lus: *Tota plenitudo Divinitatis habitat in Christo, quæ substantiam*
carneam animatam habet, s. quæ homo est. *Cyrillus* ad modum
 unionis personalis refert, ut communio duarum naturarum in-
 habitantis & inhabitatæ κατὰ ὁμοχώρησιν significetur, sicut & per
 similitudinem animæ ac corporis id exponit. Et hanc explica-
 tionem *Chemonitius* p. 53. b. pro convenientissima habet, per quam
 ostendatur tum *Communio naturarum* & personalis earum ὁμο-
 χώρησις, tum *Communitas ὁμοθεότης*, post corporeæ substantiæ
 assumptionem in unitatem ὁμοθεότης Filii Dei, ut sensus sit:
Deitatem assumptione corporis s. carnis ita in ea habitare, ut licet sint
duæ naturæ, tamen semper maneat una persona, & una ὁμο-
θεότης in duabus illis naturis subsistens. Non absque re erit,
 hic notare *phraseologiam Patrum* ex h. l. erutam, quæ
Humanam in Christo Naturam appellarunt *Naturam Deificatam*,
Athanas. Orat. IV. contra Arrian. Divinam, August. Corpus
Deificatum, Athan. in Epist. ad Epictet. Corpus Deitate plenum.
Epiphan. contra Dimerit. Corpus ἐνθεον. l. I. T. I. de adventu Chri-
sti, Corpus Divinum, Cyrill. ad Success. Ep. I. Theodoret. Dial. 2.
Assumptum templum Deificatum, Cyrill. l. IX. in Johann. c. 1. Carnem
Deificatam, Nazianzen. in Theophan. Θεωθεοῦν, Damasc. l. III. c.

17. De hoc loco vid. Chemnit. c. IX. p. 93. seq. c. XXIV. p. 163. b. seqq. Balduin. in Comm. Epist. Coloss. c. II. part. II. q. III. p. 135. seqq. Mentz. T. VII. Giess. Diss. XI. p. 147. Gerhard. in Exeg. Loc. de Christo §. 126. & 149. D. König. in Cent. I. difficill. dict. Loc. LIX. D. Calovius Theolog. nat. & revel. §. 18. p. 519. ad 525.

IV. Ecclesiastici autem termini, quibus veteres Ecclesiastici Scriptores, tam Græci quam Latini in descriptione & explicatione hujus mysterii uti voluerunt, sunt multi ac varii, p. 54.

§. 1. Chemnitius prolixè à p. 54. ad 67. illos recitat, propter causas sub finem cap. IX. p. 66. b. expositas.

§. 2. Sunt autem illi in compendium reducti, sequentes: Accessio, Nazianzen. *περὶ ἑνωσεως* p. 60. a. Augustin. pag. 60. b.

Adhesio, Cyprianus, p. 57. b.

Adventus carnalis Filii DEI, Irenæus p. 57. a.

Adunitio, Irenæus p. 57. a.

Assumptio *ὑποστάσις*, Ignatius p. 54. a. & b. Irenæus p. 57. a.

Athanasius, qui magis hanc vocem probat, quam vocabula *συνθεσις*, *συνάφεια*, *ἑνωσις*, &c. quæ non satis commoda judicat p. 59. a. Nazianzenus p. 60. a. Hilarius ibid. Augustinus p. 61. a. & b. Leop. 63. a. Ambrosius p. 60. a. Boethus p. 65.

Commixtio, Irenæus p. 57. a. Nazianzenus, ibid. Tertull. p. 58. b. Cyprianus, ibid. Nyssenus p. 59. b. Augustinus p. 61. a. Vigilus p. 64. a. Boethus p. 64. b. Cassianus p. 63. a. Theodoretus p. 60. a. Bernbardus p. 66. a. Hunc terminum Irenæus ante certamen Eutychetis usurpavit, & cæteri secuti fuerunt. Non autem confusionem Eutychianam, sed summam unionem, penetrationem ac permeationem saltem significare voluerunt, quod ex Cyrillo p. 57. a. Rustico Diacono p. 60. a. & Augustino p. 61. a. ostendit Chemnitius. Vid. Excellentiss. Buchnerus ad Hymnum Natalit. Prudentii pag. 71. 72.

Communio *κοινωνία*, Athanasius p. 58. b. Nyssenus, 59. b. Basiliius

Uit p. 60 a. Fulgentius p. 64. Chemnitius Cap. XII. p. 75. a. notavit esse, qui ad hoc vocabulum trepident, quasi eo ipso involveretur confusio, transmutatio aut exæquatio naturarum & earum proprietatum in Christo. Sed addit: *Verus Ecclesia illud nec vidit nec timuit, nec ea vis est vocabuli κοινωσις, ut vel confusionem vel exæquationem secum trahat.*

Compositio οὐνθεως, Damascenus p. 65. a. & b. Hinc Unio-
neta οὐνθεω 65. a. & b. quam Unioni secundum Confusionem,
Commixtionem, contemperationem, item secundum habitudinem,
dignitatem, consensum, contradistinguit Ibid. De οὐνθεωσ voce
ad mysterium hoc applicata Vid. Meisner. de DEO in Carne
man. th. 103. Gerhard. in Exeges. L. de Pers. & Off. Christi §. 121.
p. 1246. Gravver. art. III. A. C. pag. 218. Non enim significat
Unionem duorum habentium mutuam inclinationem ad Con-
stitutionem tertii, sed Conjunctionem scil. Unionem sive Con-
stitutionem Personalem. Vid. Estius Dist. VI. l. 3. sentent. §. 2. ubi la-
tè disputat: An Persona Christi rectè dicatur Composita vel
constare ex duabus Naturis?

Concretio, Cyprianus p. 58. b. Basilius, p. 59. b. Nyssenus p. 64. b.

Concursus, Concilium Chalcedonense p. 63. b. Cyrillus p. 62. a.
Leo p. 63. a. Damascenus p. 65. b.

Confederatio, Origenes p. 58. b.

Conjunctio, Irenæus p. 57. a. Justinus p. 56. a. Tertullianus pag.
58. a. Cyrillus p. 62. a. 71. a. Augustinus p. 61. b. Hoc vocabulum
Cyrillo post motum certamen Nestorianum incommodum fuit
visum, p. 61. a. Sed hodie frequens in ore Theologorum Or-
thodoxorum est, & in Aug. Confess. Art. III. etiam usurpatum.
Vid. Gerhard. in Exeges. Loc. de Christo, §. 134. p. 1269.

Conservatio DEI in homine, Eusebius p. 59. a.

Consortium DEI & hominis, Ambrosius p. 60. a.

Conventus, Nazianzenus p. 60. a. Cyrillus 62. a. Cyprianus
pag. 62.

Cooptatio, Irenæus p. 57. a.

Copulatio, Justinus p. 56. Cyrillus, Tertullianus p. 58. a. Augu-
stinus p. 61. b. Nyssenus p. 64. b. Quinta Synodi Universalis Can. IV.
Ibid.

Ibid. Etiam hoc nomen vitare propter hæreticorum fraudes conatam fuisse Ecclesiam, notavit *Chemnitius in Loc. Theol. T. I. p. 191.* Videatur *Gerhard Exeg. de Pers. & Offic. Christi l. all.*

Connitio συνένωσις λίγος καὶ ἀνδρωπύσεως, Epiphanius 59 b.
Depositio hominis apud Deum, Irenæus p. 57 a.

Dispensatio οἰκονομία. Ignatius p. 55 a. Nazianzenus p. 55 b. Justinus p. 56 a. Cyrillus p. 62. Hieronymus p. 60. Hæc nomen Græci Theologi, ut p. 55. notatum est, quandoque generaliter pro singulari Dei operatione sumunt, quando ipse vel absolutâ suâ potentia & majestate suâ non utitur, sed ad nostrum captum se demittit, quæ aliâs *συγκατάβασις* appellari solet: vel in creaturis & per creaturas extra & contra communem ordinem aliquid agit: quandoque autem in specie ex *Ephes. l. 10. Coloss. l. 15. Ebr. III. 5. 6.* ad Filium Dei accommodaverunt, eoque designarunt nunc *predicationem Evangelii*, nunc *Exinanitionem*, nunc ipsam etiam *Unionem*, & quidem ob tres causas, quas allegat *Chemnit. p. 55. b.* Cyrillo cum reliquis Græcis Theologis commune est, quod *θεολογία* vocant, quando absolutè de Divina Natura loquuntur: quando verò de Incarnatione loquuntur, vocant *οἰκονομία*, pag. 62. b. Vid. etiam *Isaac. Casaubonus in Notis ad Epistol. Gregor. Nazianzeni scriptam ad Eustathiam, Ambrosiam & Basilissam*, ubi plura vocabula, quibus Græci mysterium Unionis expresserunt, exponit, p. 90. 91. 92 & 93.

Gestatio, portatio, bajulatio, σπρωφορία, Ignatius p. 54 b. Irenæus p. 57 a. Athanasius p. 59 a. Nazianzenus p. 59 b. & 63 b. Augustinus p. 54 b. Quid autem intellexerint Patres hoc vocabulo ante Nestorianum certamen, ibidem exponit *Chemnitius*, Filium DEI ideò esse incarnatum, ut esset DEUS ferens, gestans, s. habens propriam carnem, assumptam scil. in qua officium suum administraret.

Incarnatio σπρωκωσις, ἐνσπρωκωσις, Irenæus, qui primus λόγον σπρωκωθέντα & Unionem σπρωκωσιν appellavit, quò vocabulò postea tota Antiquitas cupidissime est usa, notante *Chemnitio p. 56. b. Tertullianus p. 58. a. Cyrillus p. 62. b. Ambrosius p. 60. a.*

Incorporatio ἐνσωμάτωσις, Ignatius p. 54. b. Justinus p. 56. a. Tertullianus p. 54. b. & 58. a. Augustinus p. 54. b. & Ambrosius p. 60. a.

Indui.

Induitio, Ignatius p. 52. b. Athanasius p. 58. b. Cyprianus p. 58. a. Nyssenus p. 60. a. Ambrosius, *ibid.* Boethus p. 65. a. Quo in sensu autem ab antiquitate hoc nomen & similitudo sub illo latens, fuerit intellecta, latè exposuit B. Gerhardus in *Exeges. Loc. de Christo*. §. 138. p. 1275. & seq.

Ingressus in naturam nostram, Eusebius p. 59. a.

Inhabitatio, Ignatius p. 54. b. Cyrillus p. 62. b. Irenæo l. III. c. 20. vocatur *οικεωτης*, Domesticitas.

Inhumanatio ενανθρωπησις, Ignatius p. 54. b. 55. a.

Immanentia, Leop. 63.

Penetratio gr. *ειχωρησις*. Notat Chemnitius pag. 57. b. hanc vocem ab Irenæo usurpatam fuisse *lib. III. cap. 18.* quam etiam Cyrillus l. *de Incarnat. Unigeniti cap. 8.* explicaverit. Maximè tamen à Damasceno frequentata fuit, pag. 40. b. 41. a. 57. a. & b. Et quidem significantissimus terminus hoc vocabulum est, quo *Unionis personalis* mysterium ab Orthodoxis exprimi solet ad arctissimum nexum, & complexum duarum naturarum significandum, non quidem *naturalem* qualis inter materiam & formam, animam & corpus esse solet: neque *Accidentalem*, qualis inter ferrum & ignem intercedit: neque *essentialem*, qui in divina *Essentia* inter tres Divinitatis personas est: sed *personalem* inter duas naturas, quò totus ac infinitus λόγος totam carnem assumptam penetrat, & totam suà plenitudine replet, ut inde incarnetur λόγος, & vicissim homo assumptus verissimè Deificetur ac sit DEUS. Vid. Hutter. in *F. C. art. IIX. c. 2. p. 742.* Mentzer. in *Anti-Martinio p. 48.* Meisner. in *magno piet. myst. de DEO incarnato, th 102.* Gerhard in *Exeg. Loci de Christo §. 121. p. 1248. 1249.* Dicitur autem hæc *ειχωρησις* naturarum *mutua eis ἀλληλα* à Damasceno l. à Chemnit. allegato, non ab omnimoda penetrandi equalitate, & quòd sicut Infinitum permeat finitum, ita vicissim Finitum permeat Infinitum; hoc enim Damascenus ipse negavit c. VII. & l. IV. c. 34. uti ex eodem infra C. XXV. pag. 206. Chemnitius & Dnn. Theol. Saxonici contra Tubingenses in *Apologia sua p. 791* id ostenderunt, item D. Gerlachius *Disp. III. contra Buseum T. I. Disp. thes. 325. p. 158. seqq.* sed tantùm ab ipsa permeatione spectata.

B

in se.

in sese, quæ respectu τῆς λόγῳ est *activa*, respectu *humane* verò naturæ *passiva*: Divina enim natura permeat, humana verò permeatur. *Deus est Homo per assumptionem activam*, quia assumit humanam naturam: *Homo verò est DEUS per assumptionem passivam*, quia assumta est humana natura à λόγῳ.

Reductio duarum naturarum in unam hypostasim, *Damasc. pag. 65. b.*

Sociatio, *Tertull. p. 58. a.*

Societas admixtionis, *Hilarius p. 59. a. Vigilius p. 64. a.* quem terminum *Augustinus* explicat per unionem *p. 60. b.*

Subsistentia composita, *Quinta Synodi universalis Can. IV. p. 64. b.*

Subsistentia in natura DEI, *Hilar. 59. a.*

Superventus in hominem, *Athanas. p. 58. b.*

Susceptio hominis, carnis, *Tertull. 58. a. Ambros. 60. a. August. 60. b. 61. a. Leo, 62. b. Fulgentius 63. b. Boethus 65. a.* Patres sæpè repetunt, humanam naturam totum λόγον capere. Sed *ᾠείχων* non localem inclusionem intelligunt, *Chemn. p. 41. b.*

Temperatio in unum, *Epiphanius 59. b.*

Transitio in DEUM, *Irenæus 57. a. Augustinus 60. b.*

Unio ἐνωσις. Hanc vocem primus *Justinus* ad mysterium hoc applicavit *56. a.* quam *Irenæus 56. a. b.* & cæteri *Patres Greci ac Latini* postea frequentarunt, *Athanasius 58. b. 59. a. Epiphanius 59. b. Cyrillus 61. Leo 62. b. Cyprianus* quidem *Unitatem* appellavit, sed non nisi Unionem per eam intellexit, sicut etiam per vocabulum *Essentia personam*, *58. b.* Varias autem declarationes addiderunt. *Justinus* vocat ἀκροῦν non qualemcunque sed summam, absolutam sc. archissimam *56. a.* & per oppositas phrasas ac sententiam totâ antiquitate postea celebratam ἐμεινεν ὁ ἦν, καὶ γέγονε ὁ δὴ ἦν, illustravit *56. a. 57. a.* *Athanasius* eam prætulit vocabulis *συνθέσεως, συναφείας, ᾠραζεύξεως 59. a.* *Augustinus* dixit unionem ineffabilem *63. b.* *Cyrillus* appellavit ἀσύγχυτον, ἀδιάσπαστον, item dixit Filium DEI fuisse unitum carni καὶ αὐτῶν φύσιν, καὶ αὐτῶν δόξαν, vocavit ἐνότητι φυσικῆν καὶ ὁσιωδῆν, & cum offenderent nonnullorum aures, satis declaravit illas phrasas, ac ostendit, quomodo

modo non ratione termini ad quem ita appellasset Unionem hanc, sed tantum ratione objecti, naturarum sc. in Christo verè unitarum 47. a. 62. a. Post Chalcedonensem autem Synodum hos Cyrilli terminos declarativos propter Eutychianos non libenter usurparunt Orthodoxi, sed retinuerunt eam declarationem per quam ἕνωσις, ὑπόστατικὴ ἢ καὶ ὑπόστασις appellatur.

§. 3. Et ex omnibus hisce terminis Ecclesiasticis propter Certamina Nestoriana & Eutychiana, ut omnium commodissimum Orthodoxis placuit, & hodie etiam ab illis retinetur, vocabulum Unionis cum ἡγεσδιομοσῶ illò, quò Unio Personalis dicitur, 62. a. Unio dicitur non Vnitas, quia inter illa intercedit quæ aliquando non fuerunt Unum, & per abstractionem mentis distingui & separari possunt: Personalis autem dicitur, non ab Vnitate & quòd persona personæ sit Unita sed partim à termino in quo sc. assumente, qui est persona τῷ λόγῳ, in quâ Divina & Humana Natura sunt Unitæ; partim à termino ad quem, quia ad personam σὺν ἕτερον duæ naturæ concurrant & jungantur, uti B. Meisnerus in Diss. de D E O in Carne manifest. thes. 104. id explicat. Et Hunnius de Pers. Christ. f. 157. Mentzer. in Anti Martin. p. 311. 355. Vid. Gerhard. in Exeg. §. 133. p. 1269. Gravver. art. III. A. C. p. 32. seqq. & p. 214. seqq.

§. 4. Hoc observandum etiam hîc est, non sine causa Gelasium, quòd Chemnitius p. 62. a. observavit, vocabulum Vnitionis pro commodiore habuisse quàm Unionis. Neque enim eadem horum vocabulorum ratio est, sed maximè differunt, quòd Theologi Eximii Meisner. in Magno Piet. mysterio th. 76. Gerhardus in Exeges. Loc. de Person. Christi §. 101. Fevverbornius Fascic. V. Diss. II. th. 59. nos docuerunt. Nam (1.) Vnio Statum notat ac perpetua est: Vnitio autem fuit temporaria & facta in conceptione, cum Filius D E I incarnatus est per assumptionem humanæ naturæ in alvo beatæ virginis. (2.) Vnio & λόγῳ & carni competit ac reciproca est: Vnitio autem tantum λόγῳ competit & non est reciproca. Filius D E I enim est quidem Filius hominis, & contra: Filius hominis est Filius D E I; sed non ut Filius D E I assumpsit & univit sibi hominem, ita etiam homo as-

sumsit ac univit sibi Filium DEI. (3.) In prædicatione quæ *Unionem* exprimit, *Subiectum* semper est *Persona* Filii DEI *simplex* sive $\delta \lambda \omicron \gamma$: In prædicatione autem *Unionem Personalem* exponente, *Subiecti* locum habere potest nomen *totius personæ*, ex utraque natura jam constantis. Hinc non dico : *CHRISTUS est incarnatus*, sed $\delta \lambda \omicron \gamma$ vel *Filius DEI est incarnatus*. Non dico : *Christus est factus caro*, sed : *Verbum caro factum est*. Cujus rei ratio hæc est, quia persona constans ex Deitate & carne non fit caro. Rectè autem & cum Scriptura dicitur : *Cum Christo* sed secundum humanam naturam *est Deus*, Act. X. 38. *In Christo* sc. secundum carnem *erat Deus*, 2. Cor. V. 19. *In Christo* secundum carnem *habitat tota plenitudo Divinitatis*, Col. II. 9. Et ratio etiam hic est aperta. Tunc enim humana natura est in Deo, cum Deo, est habitaculum Dei, quando jam assumpta & unita est Filio Dei. In *Unionem* autem *non* assumpta est, sed demum *assumitur & unitur*.

§. 5. Et hæc observari perpetuò debent in seqq. ubi de ipsa ratione *formali* ac *definitione Unionis personalis* ex *Chemnitio* cognoscemus. Semper enim is vocabulum *Unionis* pro *Unionem* accipit. Uti in l. *ad. contra Vorstium* id notavit *Dn. D. Fevverbarnius*.

V. *Similia* quibus pia & orthodoxa Antiquitas mysterium *Unionis Personalis* illustrare & explicare voluit, sunt *tria*. *Chemn. c. V. p. 36.*

§. 1. *Unio Personalis* est $\mu \nu \omicron \tau \epsilon \omicron \mu \alpha \varsigma$, nec ullum exemplum talis unionis in tota rerum natura extat : sed tamen certæ *Similitudines*, qualem cunque manuductionem præbentes, ab *Orthodoxis* fuerunt selectæ. Ut ita perpetuum hic sit & esse etiam debeat discrimen *Similitudinis & Exempli*; *Chemn. pag. 35. a. b.* quod ex *Damasceno* optimè explicat *p. 37. b.*

§. 2. Multa autem & varia sunt similia, quæ *Scholastici Doctores*, ad declarationem hujus mysterii accommodarunt, ut sub-

ut *Subiecti & Accidentis, Infectionis rami in alterum, &c.* Sed paulò crassiora visa sunt purioribus Doctoribus & multum incommodi habent. *Danaeus* contra *Chemnitium* per totum suum *Examen* spargit Similitudines *Pedis & Capitis, Sphære Solaris & Solis, Brachii & Thoracis*: Sed coexistentiam quidem & sustentationem istæ omnes ostendunt, non autem *Unionem Personalem*. Ut meritò deserendæ sint, sicuti nec ab ullo *Orthodoxo Patre* ad hujus argumenti tractationem eas adhibitas legimus. Vid. *Rungius Disp. II. AntiCalvin. thes. 22. p. 32. Græver. in Art. III. A. C. p. 38. & seqq.* Omnium commodissima sunt hæc tria, quæ à *Chemnicio* selecta sunt. Non, quòd in illis totum sententiæ suæ fundamentum collocare, aut pronam & puppim suæ probationis facere, multò minùs per omnia *Unionem Naturarum* iis comparare vellet, sed quia *Patres Orthodoxos* præeuntes habuerit & ipsam *Scripturam* nos ad illas deducere viderit, vestigia hæc fideliter voluit sectari. p. 35. b. 36. a.

§. 3. Neque enim nescius fuit, non ex omni parte illa accommodari posse, de quo *Gerhard. in Exeges. de Pers. Christi §. 40. p. 1151. & Hutter. in Form. Concord. art. IIX. q. 2. p. 646.* & *Unionem Solis & Lucis, ferri & ignis* non esse *Unionem Personalem*, sed tantum *Unionem Accidentalem*. Nihilominus *Unionem Personalem* & inde fluentem *Communicationem Idiomatum* per illa similia illustrare, & imprimis modum *Unionis* per *ἑνωσιν* vel mutuam naturarum penetrationem aliquò modò monstrare voluit. Aliàs *dissimilitudinem* non ignoravit, neque occultavit, sed fideliter de ea monuit ex *Patribus* & imprimis ex *Damasceno & Justino p. 37. b. 38. b. 40. a.* Quibus observatis frustra sunt omnia, quæ *Danaeus f. 1392. 1393.* prolixè disputat.

VI. Primum Simile est *Lucis Primigenia & Solis.* pag. 36. a.

§. 1. Hanc Similitudinem usurpârunt *Justinus in l. de Expositione Fidei*, (si modò ille liber *Justini* sit, de quo non sine causa ambigitur, uti *Disp. I. de Loc. Theol. in genere c. I. Theor. VI. §. 3. p. 10.* notavimus, & pluribus id. *Dn. D. Wellerus in part. 2. AntiMas-*

son *Disp. IX. lib. 2. seqq. p. 319.* ostendit,) & *Oecumenius in Epist. Coloss. c. 11.* *Athanasius Dial. V. de Trinitate* Similitudinem Solis & *Lucerne* adfert, sed minùs comoda illa est, quia non talis tamque arcta hæc Unio est, quàm Lucis & Solis.

§. 2. Non ex proprio cerebro Similitudinem hanc desumerunt Orthodoxi, sed in ipsa *Scriptura* ejus vestigia non tam quæsierunt, quàm animadverterunt, & quidem in illis dictis, ubi *Scriptura* appellat Filium *DEI splendorem & refulgentiam gloriae*, *Ebr. I. 3.* ac *Solem Justitiæ*, *Malach IV. 2.* & *Lucem ex Christi corpore* refulsisse testatur *Matth. XVII. 2.* *Act. IX. 3.*

§. 3. Ostenderunt autem *Patres* ex hæc Similitudine (1.) *ipsam Unionem.* Ut enim lux primò die creata *αὐλὸς καὶ ἀσώματος* immaterialis & incorporea, corpori Solari, quod quartò demum die creatum dicitur, unita, facta est quodammodo *ενσώματος*, ita ut nunquam hæc lux sit extra Solem, nec corpus Solis absque illâ luce, sed sit unum lumen, unus Sol lucidus: Ita duæ Naturæ in Christo in se differentes, sunt unitæ, Unum *ὁφισάμενον* & Una sunt Persona, ut nec una natura extra alteram nunc sit aut esse possit. (2.) *Idiomatum Communicationem.* Ut enim *τὸ φῶς δὲ χέρονον* suam Vim ac Virtutem lucendi Corpori Solari communicat, non per confusionem, effusionem, aut exæquationem, ita ut duo sint lumina in Sole, unum primæ lucis, alterum ex primæ illa luce in Solis corpus effusum, sed quia intrinsecus Sol possidet fontem ipsum luminis per *ᾠειχάρησιν* inseparabiliter, per illam Unionem factus est Virtutis lucendi particeps per & propter illam possessionem: Ita etiam carni Christi sunt communicatæ proprietates *τὸ λόγος*, non quod de subjecto in subjectum migraverint illæ aut duplices sint factæ, sed quia caro Christi possidet *λόγον* sc. fontem illarum proprietatum, etiam illas proprietates nunquam tales esse deficientes, participavit, ut sit Caro Vivifica, Omnipotens, Omniscia, sicut Sol lucidus est. Unde *Justinus p. 41. b.* citatus ait: *Assumptum templum splendorem totius luminis Solis Justitiæ capere.* (3.) *Operationum communionem.* Ut enim Virtus lucis primigeniæ se exerit ac diffundit per corpus Solare, ita ut Sol non

non sit ἔργον instrumentum, sed & ipse operari ac lucere & illuminare dicatur: Ita etiam per Carnem Christi sese exerit Vis Vivificandi, miracula patrandi &c. τὸ λόγος, non ut per organum ἔργον & non-operativum, sed ita ut etiam ipsa Caro vivificet & Omnipotenter operetur, non quidem suâ formali Virtute, sed τὸ λόγος, per Unionem Personalem in Carne habitantis.

§. 4. In hâc applicatione nihil conatus est Chemnitius, in quo non Scripturâ præviâ Patres ipsos habuit etiam Consentientes. Falsum enim est (1.) Patres in solâ coëxistentiâ naturarum perstitisse & non ad communicationem Idiomatum & ἐνεργειῶν, istam Similitudinem applicuisse, cum *Justini* verba aperta sint, Lucem vel ἐνεργειῶν lucendi reipsâ à Corpore Solari non posse separari, solâ cogitatione posse intelligi, cujus naturæ ἐνεργεια propria sit: sic ἐνεργειῶν & operationem λόγος reipsa sejungit ab Uno DEI Filio non posse, solâ cogitatione posse intelligi cujus naturæ propria sit. Falsum (2.) Corpus ipsum Solis cum luce unitum non lucere. Falsum (3.) in Sole esse lumen tantum non verò lucem primævam. Quibus observatis expediri facili labore possunt omnia, quæ *Daneus* prolixè disputat contra Chemn. fol. 1394. ad 1398.

VII. Alterum Simile, quò Orthodoxa antiquitas mysterium Unionis Personalis illustravit, est *Ferri & Ignis*. p. 37. a.

§. 1. Cap. XXIII. p. 149. Chemnitius ad totam Veterem Ecclesiam provocat, quæ hâc Similitudine hypostaticam Unionem declaraverit, & p. 150. b. omnium maximè illustrem illam vocat, ac præ cæteris se illam amare confitetur. Ubi autem præprimis eâ fuere *Origenes*, *Athanasius*, *Basilus*, *Cyrillus* & *Damasceus*, ac desumpsisse illam videntur ex visione tum *Mosi* facta, quâ Filius DEI in rubo ardente suam Incarnationem præfigurabat, *Exod.* III. 2. tum *Johanneâ*, quâ Filii hominis pedes velut in fornace ardentes seu igniti πεπυρωμένοι *Johanni* monstrabantur. *Apoc.* I. 15.

§. 2. Non verò Similitudine hâc Patres tantùm ostendere volue-

voluerunt non lesionem Deitatis, carnisq; perfectionem creatam, uti Bellarm. l. III. de Incarnat. c. 10. f. 106. non tam explicat quam depravat illos, sed & insuper ac primò intimam *ὑπεχώρησιν* duarum naturarum in Christo & inde emanantem veram ac realem proprietatem Divinarum communicationem absque confusione aut exæquatione sui, exposuerunt ac declararunt. Ut enim (1.) Ignis non per *ὑπεχώρησιν* aut *ὑπεχώρησιν* ferro conjungitur, ac si in vase ferreo portaretur, sed per *ὑπεχώρησιν* ferrum undique suâ Essentiâ complectitur ac penetrat & sine omni confusione illi miscetur, ut nulla pars ferri expers sit ignis: ita etiam λόγος permeat Carnem in Unione Personali, ita ut suâ Essentiâ totam illam complectatur & non sit pars Carnis, quæ expers sit Deitatis. Ut (2.) Ignis ipsam Essentiam suam & proprietates Essentiales suas per Unionem istam seu ratione hujus Unionis, absque omni confusione & exæquatione communicat, Ut ipsum ferrum sit ignitum & lucidum, imò & levius non ignito: Ita etiam λόγος per & propter *ὑπεχώρησιν* istam suas proprietates Carni communicat sua *δυνάμει*, ut sit Omnipotens, Vivifica, &c. Sicut (3.) ferrum ex Unione hâc ab igne illo per *ὑπεχώρησιν* accensum splendet, candet ac urit, non quidem Virtute propriâ, sed Virtute ac proprietate Essentiali ignis sibi communicata: Ita etiam Caro Christi ex Unione hâc vivificat, operatur Divina &c. non quidem Virtute formaliter sibi propria sed Communicata propterea quod Divinitatem per *ὑπεχώρησιν* sibi unitam habet. Hæc Chemn. p. 37. a. 42. b. 43. a. & latius ea persequitur infra cap. 23. p. 149. seq.

§. 3. Esse autem hanc mentem ac sententiam Patrum, nihilque ipsis affingi, probamus ex ipsorum propriis verbis & Verborum contextu. Nam Origenes l. 2. de principiis c. 6. tot verbis ad Unionem intimam duarum naturarum declarandam simile hoc applicat, cujus verba citantur à Chemn. p. 41. a. Non secius Cyrillus in l. de Incarnat. Unigen. c. 8. id accommodat: sicut Ignis carbo boni affixus, in illum penetrans comprehendit ipsum &c. Idem intellige & de Christo. Præstat hoc etiam Damascenus l. 3. de O. F. c. 17. Ad doctrinam de Communicatione Majestatis transfert istud Basilus

lius Tom. I. Gene. in Sanctam Christi Nativitatem. Quomodo Deitas est in carne? quærit ac respondet: Sicut ignis in ferro; & μεταβατικῶς transitive, ἀλλὰ μεταδοτικῶς sed communicativè. Non enim excurrit ignis ad ferrum, verum manens in loco communicat s. impertit ferro propriam suam facultatem vim ac potentiam, nec communicatione illà minor sic, sed ignis seipso totum ferrum replet. Idem facit Cyrillus non tantum in loco allegato, sed & l. i. in Job. XV. f. 50. cujus verba notare operæ est precium. Indecens omnino est, scribit, si ignis quidem qualitatem suam conjuncta sibi materia immittere possit, ac eò modò in se materiam transmutare: Verbum autem DEI proprium sibi naturaleq; bonum, id est, Vitam conjuncta sibi carni non posse infundere. Hæc igitur maximè de causa scriptum esse ab Evangelista arbitror: Et Verbum caro factum est: quod ex parte maximè corrupta (ita reddidit Gentianus Hervetus. In Græco est: τὸν ἀγιὸν Ευαγγελιστὴν διὰ τὴν παρόντος καὶ ἀλλοτρίου τὸ ζῶον συνελθόντος: Sanctum Evangelistam à parte maximè affectâ designasse totum hominem) & Unione Verbi Vivificata totius reparationem significare voluerit. Tandem quomodo Utraque Natura quod suum est, cum Communicatione alterius agat, ex hoc simili etiam ostendit Damasc. lib. 3. cap. 15. & 19. ac eleganter inde exponit, quomodo Caro Christi Divina operetur. Nam ut urit, inquit, ignitum ferrum, non naturalitate usivam possidens actionem, sed ex Unione ignis ad ferrum illud obtinet. Ipsa igitur [Caro Domini] mortalis erat propter seipsam, & vivificans propter Unionem ad Verbum secundum hypostasim. Ante Damascenam id fecit Theodoretus qui in Dial. f. 922. id ita applicat: Sicut mixtio ignis cum ferro, non mutat naturam ferri: neq; igitur Dei cum corpore Unio mutatio Corporis est, licet Corpus Divinas Operationes præbeat.

§. 4. Non igitur applicatio Similitudinis hujus Imperitum planè ostendit Chemnitium, uti Jesuita lib. allegat. scribit, sed potius extremæ impudentiæ non minùs quàm imperitiæ ipsemet omni jure à nobis postulari debet. Contra apertam Veritatem scribit; Patres non voluisse hæc similitudine ostendere Communicationem Idiomatum, nec totum Incarnationis mysterium. Non equidem negamus, Patres etiam ad non-

C

lesio.

lesionem Divinitatis hoc Simili quandoque respexisse, eamque inde declarasse; Sed ultra eos non fuisse progressos, & Ebernitium Patres non rectè hic affectum fuisse, hoc negamus, & ex ipsis Patribus id in Solis mensa exposuimus.

§. 5. *Danaus in Exam. f. 1398. seqq.* Succinit Bellarmino. Disputat enim ibidem, Patres planè ad $\omega\epsilon\iota\chi\acute{\omega}\rho\theta\omega\nu$ naturarum & communicationem Idiomatum ac proprietatum non applicuisse hanc Similitudinem, sed vel contra *Samosatenum* tantum, inde ostendisse res etiam genere prorsus distinctas in unum $\upsilon\phi\iota\sigma\tau\acute{\omega}\mu\epsilon\nu\omega\nu$ uniri posse: vel declarasse, quâ ratione inconfusa & immutabiles manserint naturæ. Sed quid asserto huic sublit, ex precedentibus liquet. Contra *Neostadienses Theologos* hanc Similitudinem ejusque applicationem vindicavit *Apologia Libri Concordie C. 2. p. 50. seqq.* Contra *Massonium Veterem* crambem recquentem, *Dn. D. Wellerus part. 2. Anatomia Masson. Disput. XI. pag. 438. ad 462.*

IIIX. *Tertium Simile, quò Vetustas Orthodoxa Unionis Personalis Mysterium declaravit, est Anima & Corporis, p. 37. a.*

§. 1. Hoc Simile antiquissimum est, & ante *Justini* tempora etiam in Ecclesia notum fuit. *Justino, Athanasio, Cyrillo & Augustino* aliisque Patribus valdè id placuit, quia fundamentum ejus considerare viderint in illis testimoniis, in quibus Filius DEI particeps factus dicitur esse Carnis & Sanguinis sicut pueri ei communicant, *Ebr. cap. II. v. 14.* & in Christo habitare Omnis plenitudo Divinitatis, *Col. II. 9. velut in templo, Joban. I. 14. c. II. 21. p. 37. b.*


§. 2. Ostendere autem *Similitudine hâc* voluerunt Patres, (1.) duarum Naturarum ad Unius $\upsilon\phi\iota\sigma\tau\acute{\omega}\mu\epsilon\nu\omega\nu$ concursum. Ut enim Anima & Corpus conjunguntur, ita ut faciant seu constituent tale Individuum $\upsilon\phi\iota\sigma\tau\acute{\omega}\mu\epsilon\nu\omega\nu$ quod sit & vocetur homo: Sic etiam duæ naturæ in Christo uniuntur ad Unam Personam. Ita *Athanasius in Symbolo & Dial. IV. de Trin.* hoc simile accommodat. *Dissimilitudo* tamen duplex à Patribus hîc observata fuit & non,

non celata. Nam 1. Anima & Corpus ad Unam Naturam constituendam concurrunt. 2. in homine nec anima nec corpus personam rationem habet. Non ita in unione λόγος & Carnis sese res habet. Non enim ad Unam compositam naturam λόγος & Caro concurrunt, sed ad Unam Personam, & λόγος est perfecta Persona, nec opus habuit ad sui perfectionem assumptione humanæ Naturæ, p. 39. a. & 40. a. & b. (2.) Personæ Unitatem contra Nestorium. 38. b. 39. a. (3.) Naturarum cum proprietatibus suis distinctionem. 39. a. (4.) Intimam Naturarum περιχώρησιν. Ut enim Anima unitur Corpori non per attingentiam, aut assistentiam nudam, sed totum corpus undique permeat; Ita & λόγος non superficiei tenus tangit Carnem, sed totam permeat, uti Damascenus περιχώρησιν explicat, 40. b. 41. a. (5.) Idiomatum Communicationem. Sicut enim quæ Animæ & quæ Corporis propria sunt, uni ac toti homini propter Unionem Personalem tribuuntur in Concreto, & Anima etiam suas proprietates cum unito corpore communicat absque ullâ effusione & confusione: Ita etiam quæ λόγος & quæ Carnis propria sunt tribuuntur toti personæ, & λόγος absque omni effusione aut confusione suas proprietates assumptæ carni communicat. p. 42. a. 43. a. (6.) Operationum communionem. Ut enim Anima actiones suas quas sola exercere potest, sicut & facit cum separata est, propter Unionem cum Corpore illas communes facit cum corpore; ita etiam λόγος omnem suam vim, gloriam ac potentiam in, cum & per assumptam humanam Naturam exercet propter περιχώρησιν illam quâ in naturâ humanâ personaliter inhabitat 42. a. 44. a.

§. 3. Non præter aut contra mentem Patrum à Chemnitio Similitudinem hanc explicari & accommodari itidem ex ipsis Patribus demonstrari potest. Nam ad Unionem ipsam ostendam eam applicat Athanasius in Symbolo, cui paria scripsit Cyrillus in Epistol. Synodica in Declaratione Anathem. 2. 3. 4. in l. de reſ. a. Fide ad Theodos. in l. de Incarnat. Unigen. c. 7. Ad Operationum Communionem declarandam accommodat Athanasius Dial. V. de Trinitate & Damasc. l. III. de O. F. c. 15. Communicationem Idiomatum autem inde illustrat Cyrillus l. de Incarn. Unigen. c. 7.

§ 4. Da-


§. 4. *Danaus contra Chemn f. 1401.* brevior quidem in applicationis Examine est, sed non verior. Dicit 1. à *Justino & Augustino* ipso hanc Similitudinem esse repudiatam. Sed quod illi secundum quid de Similitudine dixerunt, id hic simpliciter interpretatur, & ita Fallaciam à *Dicto secundum quid ad dictum simpliciter* committit. Videatur textus *Augustini citatus p. 37. a.* Ipse *Danaus Justini* verba allegat, quibus testatur, Congruens hoc esse exemplum, tamen non ex omni parte. 2. ait, *Patrum* scopum unicum in Simili hoc fuisse, ostendere, Unum ὁμοίμενον duabus diversissimis naturis sc. Essentiis iisque etiam manentibus inconfusis constare posse: non autem demonstrare, unius Naturæ unitæ Operationem alteri communicari posse. Sed scopum *Patrum* hunc fuisse contra *Cerinthianos & Christolytas* concedimus; Ultra autem eos non fuisse progressos, negamus ex ipsis *Patrum* verbis. 3. Negat animam suas facultates in, cum & per corpus exercere, sed tantum seorsim durante Unione non exercere, idq; velle *Athanasium*. Sed sine & contra omnem rationem hoc negat. Propter intimam enim ac profundissimam Animæ ac Corporis Unionem, Corpus ipsum non tantum animatum est ac Vires & ενεργησις Vitæ, Sensus ac Motus habet, sed etiam Anima, IN, CUM ac PER Corpus Operatur, quod *Athanasius* tot verbis docuit. Ut Anima, dixit, Corporis humani Unita cum Corpore, In Corpore & Per Corpus Operatur: Sic Divina Natura Operatur In Carne assumpta, Cum Carne & Per Carnem. Contra *Massonium* totâ *Disp. X. part. I. Anti Massonii* hanc Similitudinem egregie deduxit, *Dn. D. Wellerus* à p. 387. ad 438.




AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17







Farbkarte #13

B.I.G.



M

AD LOCOS

ii,

X.

RASIBUS,

DOCTRINAM

SONALI

US,

RPZOVV SS. Theol.

& ad D. Thomæ

orunensi.

48.

COLEBI.

